





100/04.

N^o 17

1748, 21

DISPUTATIO IVRIDICA
 Q V A R T A
**SELECTIONA IVRIS
 PRINCIPIA**

A D
 ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA
 LIBRI II. SPECIMEN II. CONTINENS

Q V A M
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
 INDVLTV
 P R A E S I D E
IO. TOBIA RICHTERO
 PHIL. ET I. V. D.

AD DIEM IV. MAIL. A. C. N. MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

PVBlice VENTILANDAM PROPONIT
CHRISTIANVS GOTTLIEB KREBS
 DOEBEL. MISN.

L I P S I A E
 LITTERIS LANGENHEMIIS.

Handwritten signature or stamp, possibly "Gottlieb Krebs"



1794

1794

DISPUTATIO IURIDICA
 QUARTA
 SELECTIORA IURIS
 PRINCIPIA
 AD
 ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA
 LIBRIS SPECIMEN II CONTINENS
 QUAM
 HILVSTIS ICTORVM ORDINIS
 INDVETV
 TRAESEDE
 IO. TORIA RICHTERO
 THESESE
 AD RHM IV. MAH A. N. MESSVINE
 H. R. G. C.
 FRANKFVRTI MANDAMI PESSONI
 CHRISTIANVS GOTTLES KEERS
 PESSONI

Handwritten signature or stamp





SELECTIONVM IVRIS
PRINCIPIORVM
AD DIGESTORVM
LIBRVM II. SPECIMEN II.



I.
dilatio data debitoribus, vt intra
certum temporis spatium, a de-
bitore creditores suum extor-
quere nequeant, quam indultum
moratorium vocamus, vel a principe, vel a
creditoribus ipsis, interueniente conuentione,
conceditur. Sed in neutra reperies ratio-
nem, qua ista ab eodem creditore, aduersus
eundem debitorem, etiam si hic sub alio prin-
cipe sit, possit retorqueri. ^{a)} Etenim priui-
legia

4 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

legia priuatorum legitime impetrata non retorquentur: ^{b)} deinde retorsio tendit ad conseruandam aequalitatem et laesionem vitandam; sed indultum moratorium nullam efficit laesionem, cum illo finito, fors cum omni causa restituenda sit, adeoque nec opus habeat retorsione.

a) vid. Ord. Imp. Polit. de ao. 1577. Tit. 23. §. ult.

b) arg. L. 1. §. 1. L. 2. ff. quod quis iur. in alt. L. 1. §. 2.

ff. de Const. princ. §. 6. I. de I. N. G. et C. I. H. 2

Obst. L. 7. C. de rescind. vend.

Dissent. CARPZ. P. III. Const. 38. Def. 1. n. 17.

BERLICH. P. III. concl. 51. n. 10.

II. DE IURE PRIUATA

In ius vocationem priuata olim auctoritate vsitatam ^{a)} adeo quidem licitam fuisse, vt venire recusantes obtorto collo rapi potuerint, ad vnum omnes fere adfirmant. Cum tamen eiusmodi modus in ius vocandi a priuato conciuie exercendus, Romanorum grauitati manifeste repugnauerit, nec semper euentus felix sperari potuerit, imprimis si debilior vocauerit fortiorem; opinioni dictae communi non potest subscribi. Testimonium vero Horatii: ^{b)}

rapit in ius: clamor vtrinque,
Vndique concursus:

rem

rem plene non probat: nec Lex. XII. Tabb.

Si caluitur pedemque fruit, manum
endo iacito. c)

eam satis commonstrat; ex his enim tantum
sequitur, rapi renitentes potuisse; an vero a
priuato? altioris indaginis est quaestio. In
contrarium adduci potest Gellius, d) quo teste
haud obscure monstratur, non nisi iussu magi-
stratus in ius vocatum et venire recusantem
prehensum fuisse.

a) arg. L. 4. §. 1. ff. de in ius vocando.

Obst. L. 5. ff. de iudiciis.

b) L. 1. Satyr. 9. in fin.

c) in Fragment. LL. XII. Tabb. ad Pand. et Cod. seriem
accommodat. Tit. 7. §. 2.

Obstat L. 5. §. 1. ff. qui satisd. cog. L. 18. et 21. ff.
de in ius voc.

Dissent. RITTERSHVSIVS in LL. XII. Tabb. L. III.
ad Tab. I. et BRISSON. de Form. L. V. p. 366.

d) Noct. Att. L. XIII. c. 12.

III.

Citatio est legitima personae cuiusdam ad
iudicium vocatio, hodieque vel publice, vel
priuatim fieri solet. Publicam optime deter-
minamus per eam, quam quilibet audire vel
videre potest; priuatam contra per eam, quae
ita emittitur, vt non nisi citato nota fiat. De

A 3

publica

6 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

publica nunc plurimi statunt, eam regulariter non obtinere, si paucos excipias casus, atque hoc ob naturalem rationem, quod, ubi breviori via finem aliquem consequi possumus, ibi haud opus sit longiori, concedendum omnino est. Quod autem insuper tradunt, iudicem, extra casus illos exceptos, publice citantem iniuriarum teneri, eius rei nec Legem nec rationem congruam hactenus cognoui. In contrarium potius adduci potest, quod citatio verbalis contumeliae nihil in se contineat, cum alias trina proclamatio a sacerdote suscepta, pariter ac reliquae edictales inter facta contumeliosa merito referri debeant. Quia tamen observantia teste, famam, per publicam citationem, sigillari, mores admittunt, iudex omnino nullitatem, interdum et actionem iniuriarum vitaturus caute agit, si Iureconsultorum informationem impetret, antequam publice citet.

Conf. Excellent. D. THOM. HAYMII Tract. de

de m...
Dissentiant plurimi
IV

Locum, quo quis ad iudicium vocatur,
tutum et honestum esse debere. Romano iure,
Cano-

ε Α

Canonico et Naturali res est satis confecta.
 Quae enim Ulpianus habet: *) Si locus in iu-
 bendo iudicare non est comprehensus, vide-
 tur eo loco iudicare iussisse, quo solet iudicari
 sine incommodo litigantium, ea non alium
 locum iudicii, nisi dicto modo iamiam con-
 stitutum supponunt, etiamsi, quae idem iure-
 consultus alibi ^{b)} tradit: in locum inhone-
 stum; puta popinam vel lupanarium adesse iu-
 benti impune non pareri, de arbitris potissi-
 mum accipienda credam. Pontifex Clemens
 V. ^{c)} eadem fere repetiit, simulque naturalem
 ex parte rationem adduxit; quod nimirum
 ea, quae nos vitae periculo exponunt, iure ti-
 meantur, de more vitentur, eademque humana
 fugiat ratio, abhorreat natura; adeoque lo-
 cum citationis tutum esse debere, egregie
 disposuit: quae vero ad loci honestatem per-
 tinent, eorum necessitas exinde patet, quod
 et inhonesta fieri, sanae rationi aduersetur. In-
 terim tutum locum, ipsa Lege ductus, ^{d)} eum
 intelligo, quo quis sine vitae et iniuriae peri-
 culo potest comparere, ac inde iudico, delin-
 quenti fugitivo, in causa ciuili, exceptionem
 loci non tuti merito competere. Honestum
 contra, quo quis nullam existimationis laesio-
 nem metuit, esse adfirmo. Vereor tamen, vt
 quis

8 SELECTIORA IVRIS. PRINCIPIA

quis hodie rite citatus, adeoque ex iuris necessitate in loco viliori comparens, existimationis iacturam sentire queat, cum experientia teste, non solus ingressus, sed causae suspicio, quae cadit in ingredientem, famam laedere videatur.

a) L. 59. ff. de iudiciis.

b) L. 21. §. II. ff. de Recept.

c) Clem. Pastoralis, de sentent. et re iudicat.

d) all. Clem. Pastoralis, de sent. et re iudic.

Obst. L. 2. §. 8. L. 4. §. 1. ff. Si quis caut. in iudic. sistend. caus.

V.

Legitimam citationis insinuationem inducere non tantum iurisdictionis praeuentionem, sed et litispendentiam, obscurum nemini est. Et rationes, cur hoc introductum, summa niti aequitate deprehendo, ne scilicet alias lis, de vna eademque re mota, multiplicetur, adeoque, quod breui et simplici via discutiendum erat, nunc difficiliori, pluribusque ambagibus ac impensis admissis, inuita iustitia, terminetur. Inde colligo, dicta iura et exceptiones, ob rationis vniuersalitatem, in omnibus causis, et ordinariis et summaris, imo et iure nostro Saxonico, in iis, quae exiguae vocantur, ac in his praecipue, propter verba Legis: ^{a)} zu Verhütung großer und oft ein weit höheres, als das obiectum litis betragender

gender Unkosten, locum habere. Tandem eadem adhuc valere arbitror, etiamsi reus citationi insinuatae non paruerit, sed contumax emanferit; nam termini, qui in legitima insinuatione habiles ponuntur, hic adfunt; adhaec nisi ad praeuentionem vel litispendingiam adhuc prouocare liceret, iudicium coeptum aut interrumperetur, et sic contumacia ab altero commissa maneret impunita, aut continuaretur, et sic ex vna lite, super vno obiecto, plures nascerentur, quod vtrumque iniustum est. ^{b)}

a) Ord. Rec. Tit. I. §. 6.

b) arg. L. 73. pr. ff. de iudic. CARPZOV. P. I. Const. El. 7. def. 21. no. 1.

Obstat L. 73. §. 1. ff. de iudiciis.

Dissentit ZANGERS de Exceptionibus. P. II. c. 3. n. 5.

VI.

Etiamsi notorium sit, magistratui, qui in ius aliquem vocauit, iurisdictionem non competere, nihilo tamen minus, aut comparandum est, aut exceptio iudicis incompetentis, in scriptis, opponenda; nam Paulo ^{a)} eleganter asserente, venire debet, vt hoc ipsum sciatur, an iurisdictione eius sit. Nonne etiam iurisdictione prorogata praesumi potest, si citatus emanat, et in contumaciam procedi patiatur? ^{b)}

B

a) L. 2.

IO SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

- a) L. 2. pr. ff. si quis in ius vocatus non ierit.
b) L. 2. pr. ff. de iudic. add. L. 5. ff. eod.

Obstat L. f. ff. de Iurisdic. et L. 53. §. f. ff. de re iud.

Dissentit LUDOVICI Doctrin. Pandect. L. II. Tit. 5.
ibique citatus FRANTZK, ad ff. h. t. n. 5.

VII.

Si quis in ius vocatum vi exemerat, edicto praetoris quidem tenebatur, etiamsi hic per calumniam, id est sine obligationis causa vocatus fuerit. ^{a)} Quod si vero persona, quae in ius vocari non poterat, veluti parens, ^{b)} vel talis, quae alio, quam quo debuerat, in ius vocata, ^{c)} exempta fuerit, locum edicto non fuisse, Ofilius et Paulus statuerunt, ^{d)} eo quod is vi eximi non videatur, cui ius sit, coram aliquo magistratu, vel non sine venia, vel etiam profus non conveniri. Cumque actio ex edicto, hac in re concessa daretur, ad id, quanti ea res erat, ab actore, aestimata, ^{e)} facile perspicitur, cur contra edictum vocans, qui ipse deliquerat, id quod sua intererat, persequi haud potuerit. An vero propterea vi eximens manserit impunis, aut hodie in eodem casu mansurus sit, id ego, nec civili iure, nec moribus nostris ausim affirmare; deliquit enim, ^{f)} ad eoque poena se dignum reddidit; violavit quo-

quoque magistratus auctoritatem, quod a
coercitione vacuum esse nequit. ^{g)})

a) L. 4. §. 1. ff. ne quis eum, qui in ius voc.

b) L. 1. §. 2. ff. eod.

c) L. 2. ff. eod.

d) all. L. 1. et 2. eod.

e) L. 5. §. 1. ff. eod.

f) L. 2. ff. eod.

g) LAVTERBACH. Colleg. Pandect. L. II. Tit. 7. §. 4.
Obstat d. L. 1. §. 2. ff. eod. verbis: non deliquit qui
exemit.

VIII.

Si unquam in aliquo Digestorum titulo
nigrum minus respondeat rubro, id sane de-
prehenditur in titulo: qui satisdare cogantur,
vel iurato promittant, vel suae promissioni
relinquantur; quis enim ad iuratoriam cautio-
nem, aequae ac nude promissoriam admitten-
dus sit, de iis ne verbum quidem in ipso
textu habetur. Iuratoriam quidem nonnulli
pauperibus ^{a)}) ex necessitate: contra nude pro-
missoriam rerum immobilium possessoribus ^{b)})
imponendam statuerunt; sed neutrum, opi-
nor, ex Digestis probabitur. De pauperibus
enim Leges eiusdem tituli silent, et immobi-
lium possessores a necessitate satisdandi im-
munes praestant. ^{c)}) Neque mirum est, quod
non adeo multum in dicto titulo de iuratoria

cautione et nude promissoria proferatur; agitur enim in illo praecipue de cautione, de iudicio fisti, quae regulariter satisfactione, hoc est, datis fideiussoribus, ^{d)} fiebat. Ceterum ea, quae forte deficiunt, ac in genere ad cautionis doctrinam spectant, facile partim ex regulis prudentiae et natura securitatis, partim ex Legibus nouioribus Codicis et Nouellarum suppleri possunt; quippe imperator Iustinianus ^{e)} cautione vel ἀσφαλεία absolute posita, minime fideiussionem, sed nudam promissionem significari voluit, ac deinceps eos, qui fideiussorem dare non valent, iuratoriam cautionem exponere sanciuit. ^{f)} Tandem nec id praetermittendum est, quod in iudicialibus viri illustres ^{g)} et spectabiles ^{h)} iuratoriam; clerici vero, quoties ipsimet, praeter fideiussionem oeconomae ecclesiae, cauere tenentur, nude promissoria ⁱ⁾ cautionem tantum ex iure singulari praestent; quod vtrumque tamen apud nos non obtinet. ^{k)}

a) CARPZ. P. III. Conf. 15. def. 53. MEV. L. IX. dec. 42.

b) STRVV. Synt. Iur. Ciu. Exerc. V. §. 25.

c) L. 15. pr. ff. qui satisf. cog.

d) L. 1. ff. eod. L. 1. ff. in ius vocati vt eant.

Obst. L. vlt. ff. Qui satisf. cog.

e) in L. 3. C. de V. et R. S.

f) Auth. Generaliter, C. de Episc. et Cler. Nou. 112. c. 2.

g) L. 17.

- g) L. 17. pr. C. de dignitat.
 h) L. 12. pr. C. de proxim. facror. ferinior.
 i) L. 25. §. 1. L. 33. §. 3. C. de episc. et cleric.
 k) SCHVLTZ. in Notis ad Inst. de fatisdat. lit. a.

IX.

Qui immobilia iure domini possidebat, is olim a cautione de iudicio fisci, liber erat,^{a)} ita vt nec eadem bona expressè oppignorare,^{b)} nec ideo iurare,^{c)} nec denique, quod alii putant, insuper nudam promissionem exhibere^{d)} opus habuerit; haec enim cautio aliter vix fiebat, quam per fatisdationem, qua remissa, nihil remanet peragendum. Immo nec eiusmodi possessoris bona hypothecae tacitae obnoxia fuisse, audeo affirmare, quia tacitum pignus non nisi expressà Lege corroboratum valet.^{e)} Sic sola possessio, tanquam ex iure singulari suffecisse videtur, et contumacia nihilominus per immisionem adhuc coerceri poterat.^{f)} An vero, ab hac iudicio fisci cautionis remissione, ad reliquos, vbi cauendum est, casus, hodieque concludi possit, id quidem non tam ex iure ciuili, quo ipso dicta cauendi necessitas in desuetudinem abiisse videtur,^{g)} quam ex moribus tantum diiudicandum esse arbitror.

a) L. 15. pr. ff. qui fatisdare cogant.

b) arg. d. L. 15. §. 3. add. L. vii. §. 15. C. de rei vxor. act.
 Dissentit CARPZ. P. I. Const. 5. def 4. ob L. 7. ff.

14 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

vt legat. f. fideicomm. seruand. et L. ult. §. 3. C.
de adminiftr. tutor.

- c) arg. d. L. 15. pr. ff. qui fatisd.
Obft. L. 26. §. 6. C. de epifc. aud.
- d) arg. d. L. 15. pr. ff. qui fatisd.
Dissentiunt plurimi.
- e) tot. tit. ff. in quibus caufis pignus. adde L. 14. et 15.
ff. de legibus.
- f) L. 2. pr. §. 1. ff. quibus ex caufis in poffeff. eat. LAY-
TERBACH. Coll. Pandect. L. II. Tit. 8. §. 16.
- g) arg. Nouellae 53. c. 3. et §. 2. I. de fatisdat.

X.

Immobilibus, quae olim a cautione de iudicio fifti liberabant, DD. plerumque accensent annuos redditus irredimibiles, pecunias hereditarias ex re immobili foluendas, tabernam et bibliothecam inftitutam, actionem realem ex dominio profluentem ^{a)} et alia; fed contra mentem, quod arbitror, Legis expreffam. Poffeffor enim hoc loco is accipendus eft, qui in agro, vel ciuitate, rem foli poffidet, aut ex afle, aut pro parte; ^{b)} non ergo is intelligetur, qui ius redituum habet, aut tabernam, et id genus alia. Nec actio realis ex dominio quicquam hic efficit, fed potius ipfum dominium, vnde actio oritur, quippe et is poffeffor eft, qui folam proprietatem habet. ^{c)} Multo minus nunc actio realis tantum, quod Carpzouio ^{d)} vifum, aut actio personalis ^{e)} libera-

berationem praestabit. Interim haec omnia, pariter ac ea, quae de dominio qualicumque admittuntur, item, quod intuitu possessionis tempus cautionis spectandum sit, ^f) hodie utilitatem dicto modo non habent; nam cautio de iudicio fisci, ad quam ea restringenda sunt, hodie cessat.

a) LUDOVICI Doctr. Pand. L. II. Tit. 8. §. 6. 7.

b) L. 15. §. 1. ff. qui fatisd. cog.

c) all. L. 15. §. 1.

d) P. I. Const. 5. def. 17.

e) L. 15. §. 4. ff. qui fatisd. cog.

Obst. L. 15. ff. de Reg. iur.

f) all. L. 15. §. 7. ff. qui fatisd. cog.

XI.

Quod Ulpianus ait; ^a) actionem de eo, per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat, aduersus heredem dandam, ut ex dolo defuncti heres non lucretur, id Ludouici ^b) ita contingere posse autumat, si actor agat, cuius actioni principali, propterea quod reus se non sistat, praescribatur, siquidem praescriptio iure antiquo demum per litis contestationem interrumpatur. Verum dubito, quin ex his mens Ulpiani elucescat. Heres enim ex dolo defuncti nihil debet lucrari: fac autem praescriptione interim completa, actorem amisisse actionem, quid quaeso inde ad tertium

tertium dolo impediētem, quid ad eius heredes translatum esse intelligitur? Potest sane actor amittere actionem, ac tertius tamen nihil inde lucrari. Ego itaque potius casum supponendum esse arbitror, vbi impediēti, eo nomine, quid promissum, aut datum, idque ad heredes transmissum est. Sic enim heres ex dolo defuncti procul dubio aliquid lucraretur, nisi hoc illi, tanquam impium emolumentum, dicta actione concessa, extorqueretur.

- a) L. 1. §. 6. ff. de eo per quem factum erit, quo minus quis in iud. sist.
- b) Doctr. Pand. L. II. Tit. 10. §. 2.

XII.

Vadimonium qui deseruerat, tenebatur et ipse, et eius, quem dederat fideiussor ^{a)} ad id, quanti actoris vere intererat, eo quidem tempore, quo sisti debuerat, ^{b)} nisi certa quantitas, seu poena cautioni adiecta fuerit, quo casu, non tam interessē in genere, quam poena conuenta, etiam ultra modum, quod aiunt, statutum, id est, ultra verum interessē, promissa petebatur. ^{c)}

a) L. ult. ff. Si quis in ius voc. non ierit. et L. 2. §. ult. ff. Qui facisd. cog.

b) L. 12. §. 1. ff. Si quis caut. in iud. sistend.

c) dict. L. 2. §. ult. in f. ff. Qui facisd. cog. L. ult. ff. de stipul. praetor.

Obstat L. 4. §. ult. ff. Si quis caut. in iud. sistend. L. vn. C. de sentent. quae pro eo, quod interest.

ULB Halle

004 195 175

3



f
sl.





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

104

N 17

1748, 21

DISPUTATIO IURIDICA
QUARTA
SELECTIORA IURIS
PRINCIPIA

AD

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA
LIBRI II. SPECIMEN II. CONTINENS

QUAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

INDVLTV

PRAESIDE

IO. TOBIA RICHTERO

PHIL. ET I. V. D.

AD DIEM IV. MAIL. A. C. N. MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT

CHRISTIANVS GOTTLIEB KREBS

DOEBEL. MISN.

L I P S I A E

LITTERIS LANGENHEMIIS.

J. G. Krebs

